

35  
D. D.  
**THESES  
MISCELLANÆ,**

QUAS

*SUFFRAG. AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH. IN RE-  
GIA ACAD. ABOËNSI,*

PRÆSIDE

**PETRO KALM**

OECON. PROF. REG. & ORD. NEC NON  
REG. ACAD. SCIENT. HOLM. MEMBRO,

PRO GRADU

*PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT*


**ZACHARIAS CYGNÆUS,**

*V. D. M.*

VIBURGENSIS,

DIE XXIII. JUNII, ANNI MDCCLVI.

LOCO HORISque ANTE MERIDIEM CONSVETIS.

  
ABOË, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.

Finland, JACOB MERCKELL,



*Plurimum Reverendo;*

**D<sub>N</sub>. ZACHARIÆ  
CYGNÆO,**

*Pastori in Menduharju Savolaxiæ meritissimo*

**PARENTI INDULGENTISSIMO.**

**T**

*Ibi.*

*Parens. Optime.*

*Memor. Intensissimi. Tui. Erga. Me. Amoris.*

*Et.*

*Illius. Quæ. Filium. Decet. Pietatis.*

*Nunquam. Intermorituræ.*

*Hæc. Pagellas.*

*Sumtum. Tuorum. Fructus. Qualescunque.*

*Unice. Sacras. Esse. Volui.*

*Addito. Voto. Calidissimo.*

*Ut.*

*Te. Salvum. Ac. Sospitem.*

*Deus. T. O. M.*

*Quam. Diutissime. Nobis. Conservet.*

**PARENTIS. OPTIMI.**

*Filius obedientissimus,*

**ZACHARIAS CYGNÆUS.**





THESIS. I.

**H**istoriam naturalem recte definiri per re-  
censionem atque descriptionem corporum  
in tribus regnis naturæ obviorum, existi-  
maverim, modo horum nomine intelligen-  
tur genera universalissima corporum, quæ in glo-  
bo nostro terraqueo inveniuntur, & ex elementis  
componuntur.

*Thes. II.*

**Q**uemadmodum nihil magis decet hominem  
quam rerum naturam perscrutari; ita nullis  
ne antiquissimis quidem temporibus defuere, qui  
industriam illamque egregiam collocarunt in exco-  
lenda historia naturali: Inde factum est, ut multa  
inventa præclara definitiones pulcherrimæ & clas-  
sificationes haud contemnendæ, in illa occurrant.  
Tantum tamen abest, quin ad summum fastigium  
evecta sit, ut potius fateri oporteat illam ob di-  
cendorum copiam, finitudinem intellectus humani  
& corporum artificiosissimam structuram plurimis  
laborare defectibus. Hoc etiam in causa est, cur  
nomine scientiæ, rigore mathematico vel summo,  
illam insignire non audeamus, licet de cetero non  
negemus illam aliquando eo usque ascendere posse.



*Thef. III.*

**Q**ui tribus regnis naturæ, puta animali, vegetabili & minerali ab antiquioribus jam temporibus usurpatis plura addere volunt, licet sanæ rationi atque indoli rerum penitus contraria non doceant, minus tamen necessaria urgere videntur, cum sufficiant illa, & corpora quibus hæc absolvi volunt, merito pro elementis habeantur corporum & ad scientiam pertineant naturalem.

*Thef. IV.*

**S**tudium Historiæ naturalis hominibus omnium ordinum pluribus ex rationibus sese commendat. Non enim solum in omnibus ejus objectis maximam sapientiæ divinæ vim deprehendimus, quo nomine ad acuendam convictionis de perfectissimo numine aciem fortissime infervit; verum etiam per omnia negotia humani generis eorundem usus adeo late sese diffundit, ut eorum cognitio non utilis modo, sed potius summe necessaria sit censenda.

*Thef. V.*

**N**on parum adfert utilitatis historico naturali si diligentius inquisiverit in incunabula & magistros hujus disciplinæ, hoc est historiam ejus literariam didicerit; Sic namque certior redditur quibus in locis, quave ratione res maximi usus quærendæ sint, novitque qua incedendum ipsi sit via, ut omnia in hoc studiorum genere ex voto succedant.

*Thef. VI.*

**P**ræterquam quod, ob maximas illas prærogativas,



vas, quibus sapientissimum Numen incolas regni animalis instructos voluit, illorum accuratior cognitio jucundissima sit; etiam necessitate quadam jubemur ad illam nobis parandam. Sunt namque animalia nobis sæpe non minus noxia quam utilia. Si itaque ab illorum injuriis nobis cavebimus, & hisce rite frui poterimus, utique noscere juvat eorum naturam & œconomiam.

*Thef. VII.*

**S**apientiæ divinæ & creaturarum perfectioni multum sane derogant, qui generationem defendunt æquivocam. Quumque dudum evictum sit omnia animalia ex ovo generari, inde pronò fluit alveo, tot jam ab initio eorum exstitisse species, quot existunt hodie. Nec est quod objiciatur dari etiam species hybridæ, hæ namque ad generationem sui similium ineptæ, novarum specierum vix merentur nomen.

*Thef. VIII.*

**O**ptime sibi & aliis consulunt botanici, qui recensione plantarum earundem subjungunt accuratam delineationem. Si enim earum magnitudo & figura, imò singulæ partes atque partium partes quoad numerum situm & proportionem vivide exponuntur, propriæ non solum succurrit imaginationi & memoriæ botanicus, sed etiam plantæ cognitionem aliis reddit faciliorem. Imprimis vero necessarium est, ut juxta adhibeat varia phœnomena, quæ eandem spectare diligentissimis perspexit observationibus.



*Thef. IX.*

**L**icet non diffitendum sit plantas ejusdem generis & speciei sæpissime maxima diversitate, quoad structuram, magnitudinem colorem, virtutes &c. prodire; nulla tamen experientia constat, illas adeo a forma & essentia sua degenerasse, ut in alias prorsus essent immutatae. Unde etiam haud absque fundamento concludere licet, nullam unquam speciem earum perituram esse durante tempore

*Thef. X.*

**S**ystema Sexuale Linnæi reliquis systematibus botanicis omnibus, huc usque inventis, longe palmam præripit; Systema vero plantarum naturale, si investigari queat, & huic & cæteris omnibus artificialibus, sive inventis sive inveniendis præferendum est.

*Thef. XI.*

**L**ubrico admodum nititur fundamento assertum eorum, qui lapidum accretionem ex principio interno, hoc est, per spontaneam propulsionem humorum declarare solent: nam ejusmodi similitudinem tria regna naturæ inter, non licet inferre, quæ indoli rerum repugnat. Nec quicquam roboris opinioni illorum accedit exinde, quod in lapidibus sæpe adpareant imagines plantarum & venæ variæ structuræ, quodque metalli imprimis fossoribus obveniat creta illa fluida, svecis *Gubr*, quam instar sanguinis lapidum esse credunt: nam venæ illæ heterogeneis ab ipso lapide constantes particulis vel lusus sunt naturæ, vel etiam per appositionem

nem



nem externam lapidi adhærent, adeo ut figura earum exinde solum dependeat, quod initio fluida constiterunt materia, postea vero in duriores abierunt substantiam. Et creta illa fluida in fodinis saltem inservit metalli particulis ab uno in alium locum evehendis & tandem ad massam solidam unniendis. Neque nostræ sententiæ quicquam derogat, quod experientia constat mineralia, e. g. aurum per culmum fecalis & per vitem usque ad uvæ permeasse, nam ejusdem phænomeni explicatio commodius aliunde repetitur quam ex accretione ipsius auri.

*Thes. XII.*

**Q**ui ad solidiorem aspirant mineralogiæ cognitionem, atque naturam ususque lapidum penitus rimari volunt, non nisi chemicis muniti subsidiis ad studium hocce accedant, quum alias parum proficiant. Immo quum chemicis experimentis solum accurate innotescat, quibus particulis constat, quæve indole gaudeat quivis lapis, systema horum condituro illa nequaquam negligenda sunt.

*Thes. XIII.*

**D**um ad generalissima cujuscunque naturæ regni solum animadvertimus, maximam & in sensu incurrentem deprehendimus differentiam inter objecta eorum difficilius autem limites eorum ponuntur, dum ad infima cujuscunque descendimus. Nitantur itaq; necesse est omnia, quæ in historia naturali proponuntur tanquam genuinis fundamentis observatione, experientia & inductione ratiociniorum. *Thes.*



*Thef. XIV.*

**S**cientias œconomicas sub forma regiminis limitata longe feliciores semper fecisse progressus, quam sub absoluta, temporum omnium annales loquuntur, hæc enim cives plerumque pauperes, illa vero opulentos reddit.

*Thef. XV.*

**Q**uum necessitate quasi cogamur ad excollandam & perficiendam Physicam, quam per scientiam corporum & attributorum eorundem definimus; pessime illos sibi consulere statuimus, qui in hac disciplina addiscenda, vel nullam vel justo segnioram collocant operam. Quamvis enim diffidendum non sit essentiam immo plurima attributa corporum nos latere, exiguamque adfulgere spem illa omnia unquam detecta fore: tamen maximam præstat utilitatem scrutinium eorum, quæ jam inventa sunt, non solum in vita communi verum etiam in cognitione perfectionum divinarum acquirenda atque profligatione superstitionum. Quo intuitu etiam tenendum est, arma illa, quæ scientia nostra subministrat dignissima esse, quæ adhibeantur ad prosternendas phalanges impiorum illorum hominum, qui perversis de summo numine ducuntur opinionibus, quod etiam ostenditur

Act. XVII: & Rom. I: 20.

S. D. G.

\* \*  
\* \*

\* \*  
\* \*

\* \*  
\* \*